

definito præponenda, nec definitioni inferenda sunt. Est itaque ridicula definitio, si dicas: Omnis Dialectica est ars bene disferendi; vel, homo est quoddam animal rationale. Interim tamen istæ particulæ universales & particulares ingrediuntur definitionem, quatenus in definitione aliquid determinant: ut, plebs est reliqua omnis multitudo exceptis senatoribus: justum generale est, quod erga omnes homines semper & ubique præstandum est. Sic particula *quidam* interdum inferitur definitioni propter excellentiam: ut, feudum est ususfructus quidam rei immobilis sub conditione fidei.

8 *Definitio negans fermè est vitiosa.*

An definitiones negantes oēs sint vitiosæ?

Ratio: quia non explicat essentiam definiti, sed non-essentiam, hoc est, non ostendit quid res sit, sed quid non sit. Vanæ igitur sunt hæ definitiones: Dissimile est, quod non est simile: accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium. Dixi in canone *fermè*. Nam definitiones negantes tolerantur in rebus perfectissimis, cujusmodi est Deus; & imperfectissimis, qualis est materia prima. Harum enim rerum proprietates positivæ nos latent. Vide Scalig. *exerc. 112. sect. 2.*

9 *Definitio est res una, non copulâ, sed naturâ.*

Itaque partes definitionis, genus & differentia, non debent connecti conjunctione copulativâ. Si enim copula intercederet, significaretur res quidem una, sed per accidens; cum ex partibus definitionis debeat fieri unum naturâ, ut est in canone, seu unum per se. Quare non dices, Homo est animal & rationalis. Neque tamen ideò rejicimus *definitiones per concomitantiam*, quas vocant, in quibus minùs generale magis generali, proprium proprio, & effectum effecto interdum jungitur per conjunctionem & vel voculam *cum*: ut, Ira est cupiditas vindictæ cum ebullitione sanguinis circa cor. Hic cum principali & generali jungitur minùs generale. Fides est lumen in intellectu & fiducia in corde; hic proprium proprio adjungitur. Equus est animal domabile ad vehendum & trahendum. Hic effectum additur effecto per copulam &.

10 *Definitioni non admiscenda est distributio.*

Itaque